

explicarunt vel de gratiâ miraculorum, vel prophetiâ, vel de facultate docendi. 6° Denique utcumque apostoli Pauli testimonia accipiantur, Ordinis tamen Sacramentum minimè probant. Ille enim loquitur de impositione manuum presbyterii; Catholicorum autem constans sententia est, non presbyteros, sed episcopos tantùm Ordinis Sacramentum administrare posse. 7° Accedit quòd Sacramentum novæ legis Christianis omnibus debet esse commune, ordo autem peculiaris est clericorum. Ergo.

13. R. ad 1. D. Ritus materialis, Tr. vel C. prout à Christo instructus est gratiâ sacramentali, seu prout Christus eidem ritui alligavit gratiâ collationem, N. Alioquin et ipsum Baptisma ex albo Sacramentorum esset expungendum, cum non minùs hic baptizandi ritus apud veteres Hebræos obtinuerit (1).

14. Ad 2. N. C. Potuit enim Christus pro suprèma quâ pollebat auctoritate absque peculiari ritu sacerdotali dignitatem apostolis conferre, et ipsis interea præcipere ut ad inaugurandos sacerdotes impositione manuum uterentur. Nec enim tantùm ex iis quæ Christus fecit, sed ex iis quæ ipse facienda mandavit thesim nostram astruimus.

15. Ad 3. N. Est enim gratiâ virtutis et dilectionis, ut ipsemet exposuit. Id porrò quod additur de voce *χάρισμα* collatâ cum voce *χάρης* nullius prorsùs ponderis esse reponimus, tum quia idem Apostolus, Rom. 5, 15, hæc eadem voce utitur ad gratiam sanctificantem significandam dum ait: *Non sicut delictum, ita et donum*, Gr., *χάρισμα*, tum quia vetustissimi Græcorum Patres gratiam quâ Filii Dei nominamur et sumus *χάρισμα* appellant, ut Clemens Alex. (2). Gregorius Nazianz. (3) atque Theodoretus (4). Hinc etiam Pauli interpres Joannes Chrysost. quod Paulus in objecto loco *χάρισμα* vocaverat, ipse *χάρις* exposuit, hom. 1 in 2 Tim., c. 1, n. 2. Ideò autem Paulus imperitam gratiam Timotheo dicere maluit *χάρισμα* quàm *χάρις*, quia scilicet ordo tum gratiâ sanctificante initiatus auget et cumulat, tum eosdem multis præterea donis exornat ad aliorum utilitatem et salutem. Appositè Chrysostomus ita verba posterioris Epistolæ ad Timotheum enarrat: *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei*; hoc est, gratiam spiritûs, quam accepisti ut præsis Ecclesiæ, ut signa edas et cultum omnem exhibeas. Penes nos enim est illam vel extinguere, vel accendere (homil. 1 in 2 Tim.). Quibus verbis gratiam gratis datam S. doctor ita commemorat, ut gratiam sanctificantem minimè excludat. Atque hoc modo explicandi sunt cæteri Ecclesiæ Patres, qui Pauli verba vel de gratiâ miraculorum, vel prophetiæ, vel de facultate docendi quoquomodo

(1) Cf. Lightfoot, Harmonia quat. evangel., p. 3, in Joan. 3, 25, Opp. ed. Ultrajecti 1692 vol. 1, pag. 446, seqq.

(2) Pædagog. lib. 1, c. 6, p. 951.

(3) Orat. 40, p. 638.

(4) Epist. Græcor. decretorum, cap. 28, tom. 4, p. 516. Hæc aliaque exempla cf. apud Svecorum in Thesaur. Eccles., tom. 2 ad vocem *χάρισμα*, § 5.

explicasse videntur. Ab hæc autem expositione nec ipsi recentiores Protestantes abhorreere videntur (1).

16. Ad 4. D. Per prophetiam de futurâ Timothei ordinatione, C.; per donum prophetiæ, vel N. vel subd.; præter gratiam sanctificantem, Tr.; ad hujus exclusionem, N. Illorum porrò expositio nobis verisimilior videtur, qui ea Pauli verba non de effectu manuum impositionis interpretantur, sed de prophetiâ, sive revelatione, quâ admonitus Paulus Timotheo manus imposuerat, et episcopum consecraverat coherenter ad ea quæ 1 Epist. ad eundem Timotheum 1, 18, ipse Apostolus scripserat: *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias* (2).

17. Ad 5. Responso patet ex iis quæ dicta sunt ad 5.

18. Ad 6. D. Id est, episcopi, C.; simplicis presbyteri, N. Vox enim *presbyteri* seu *presbyterii* ab initio, ut suo loco ostendemus, æquivoca fuit, atque usurpabatur ad designandos sacerdotes sive primi, sive secundi ordinis, id est, tum episcopos tum presbyteros propriè dictos; hic porrò ab Apostolo adhibitam esse ad significandos episcopos patet tum ex S. Joan. Chrys., qui Homil. in hunc locum declarat Apostolum id dicere: *Non de presbyteri episcopum ordinabant*; tum ex antiquissimis versionibus, quæ verba illa reddunt: *Per impositionem manuum episcopi* (5); tum denique ex Apostolo ipso, qui 2 ad eundem Timoth. Epistolâ scribit: *Per impositionem manuum mearum*. Non desunt qui contendunt vocem illam *presbyterii* non ad Ordinis ministrum, sed ad subjectum, seu ad ordinatum ipsum referri atque ad eò significare officium presbyteri, vel episcopi, ut sensus sit: *Per impositionem manuum quâ creatus es presbyter*. Hæc autem interpretatio quam Calvinus ipse probavit (4), difficultatem omnem de medio tollit.

19. Ad 7. D. Quoad utilitatem, Tr. vel C.; quoad perceptionem, N.

CAPUT II.

DE MULTIPLI CI ORDINUM NUMERO ET DIGNITATE.

20. Loquens Tridentina synodus, sess. 23, cap. 2,

(1) Cf. Rosenmüller, schol. in hunc loc.

(2) Hanc expositionem sequitur ipse Calvinus in Comment. in 1 ad Timoth. 4, 14, ubi scribit: *Dicit (Apostolus) gratiam illi datam esse per prophetiam*. Quomodo? Quia scilicet Spiritus sanctus oraculo Timotheum destinaverat, ut in ordinem pastorum cooptarent. Neque enim delectus tantùm fuerat hominum iudicio, ut fieri solet; sed præcesserat Spiritus sancti nuncupatio... Itaque sensus est Timotheum, cum prophetarum voce adscitus fuit in ministerium, et deinde solemniter ritu ordinatus, simul gratiâ Spiritus sancti instructum fuisse ad functionem suam exsequendam. Unde colligimus non inanem fuisse ritum, quia consecrationem quam homines impositione manuum figurabant, Deus Spiritu suo implevit. Quid clarius?

(3) Sanè versio Æthiopica ita reddit Apostoli verba: *Cum impositione manuum episcoporum*. Cf. Polygl. Walt.

(4) Tum in Comment. in hunc loc., tum Instit. lib. 4, cap. 3, § 16.

de sacris Ordinibus, hæc habet: *Cum divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium; consensaneum fuit, quòd dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissimâ dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsurâ insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis sacre litteræ apertam mentionem faciunt; et quæ maximè in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent, et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque unicuique eorum propria ministeria, subdiaconi, scilicet, acolythi, exorcistæ, lectoris et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non vari gradu. Nam subdiaconatus ad majores ordines à Patribus et sacris conciliis refertur, in quibus et de aliis frequentissimè legitur. Can. autem 2, sic eandem doctrinam sanxit: Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesiâ catholicâ alios ordines, et majores, et minores, per quos, vel per gradus quosdam in sacerdotium tendatur; anathema sit.*

21. Quæ verba singula mirâ sapientiâ referta, si quis attentè perpendat intelliget ita Tridentinum doctrinam catholicam tradidisse, quia vel Ecclesiæ Græcæ, vel diversis scholarum placitis quidpiam detraxerit, vel uni potiùs quàm alteri sententiæ adherere videatur. Hoc enim unum definit de fide, nempe in Ecclesiâ catholicâ præter sacerdotium alios esse ordines et majores et minores, minimè verò 1° quot sint et quanam sint; 2° an omnes divinitus fuerint instituti necne; 3° an omnibus et singulis ratio competat Sacramenti vel quibus in particulari; 4° an omnes æquè imprimant characterem; 5° an iidem semper vigerint, an alii præterea.

22. Porrò omnes catholici consentiunt: 1° præter sacerdotium alios esse ordines et majores et minores, quod fides docet; 2° ex his episcopatum, presbyteratum et diaconatum divinitus institutos esse; 3° presbyteratus ordinationem veri nominis esse Sacramentum.

23. Dissentiunt autem Græci à Latinis 1° circa ordinum numerum; Latini enim septem ad minimum ordines agnoscunt: sacerdotium, diaconatum, subdiaconatum, acolythatum, exorcistatum, et ostiariatum; Græci verò non nisi quatuor numerant, sacerdotium videlicet, diaconatum, hypodiaconatum et lectoratum. 2° Dissentiunt iterum Græci à Latinis in eo quòd isti subdiaconatum inter ordines majores, saltem à pluribus seculis recenseant, illi verò inter ordines minores quem propterea extra sanctuarium conferuat perinde ac lectoratum.

24. Ast neque inter se conveniunt Latini 1° circa ordinum numerum; canonistæ enim plerique, præsertim ex antiquioribus, novem esse contendunt eò quòd in his recenseant et episcopatum et clericalem tonsuram, quam quidem tanquam nudam ceremoniam ac dispositionem ad ordines theologi communiter habent; qui præterea 2° inter se disceptant num episcopatus sit ordo specie distinctus à presbyteratu, an

verò ejusdem presbyteratus ejusque characteris extensio. 3° Disputant utrùm omnes ordines tam majores quàm minores divinitus fuerint instituti, an verò tres hierarchici tantùm, episcopatus videlicet, presbyteratus et diaconatus; 4° ac propterea num omnibus ex æquo ordinibus dignitas Sacramenti competat necne.

25. Nos methodo quam sectari cœpimus insistentes, priùs quàm ad fidem pertinent vindicabimus, postea astruemus quæ nunc penes theologos certa ac rata sunt, demùm nonnulla adjiciemus scholia ad ea illustranda de quibus adhuc theologi inter se decertant.

PROPOSITIO PRIMA. — *Est in N. T. sacerdotium visibile et externum à Christo Domino institutum, quod non est omnibus commune, sed apostolorum proprium externo ritu in Ecclesiâ propagandum cui competit vera Sacramenti ratio.*

26. Quatuor partes complectitur propositio, institutum nempe à Christo fuisse in novâ lege externum ac visibile sacerdotium; hoc verò sacerdotium non esse commune omnibus christianis; idem sacerdotium externo ritu esse propagandum in Ecclesiâ; et demùm huic ritui competere dignitatem Sacramenti.

27. Prima pars de fide est à conc. Tridentino sess. 23, hoc can. 1, definita: *Si quis dixerit non esse in novo Testamento sacerdotium visibile et externum; vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium prædicandi Evangelium, vel eos qui non prædicant, prorsùs non esse sacerdotes; anathema sit*. Reliquæ autem partes ad eandem fidem pertinent, utpote totidem corollaria, quæ arctissimo nexu cum primâ connectuntur, et ex eâ necessariò profluunt.

28. I. Sic verò primam partem evincimus cum Tridentinis Patribus qui, in cit. sess., cap. 1, hæc præclare habent: *Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit... Hoc autem ab eodem divino Salvatore nostro institutum esse, atque apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi corpus et sanguinem ejus, necnon et peccata dimittendi, et retinendi sacre litteræ ostendunt, et catholica Ecclesiæ traditio semper docuit*. Unde sic: Christus instituit verum et propriè dictum sacerdotium, visibile nempe atque externum, si verum et propriè dictum instituit sacrificium. Atqui Christus, ut constat ex iis omnibus quæ suo loco disseruimus, instituit Eucharistiam tanquam verum et propriè dictum sacrificium (1). Ergo.

29. Major porrò propositi argumenti propositio facile ostenditur ex intimâ ac necessariâ connexionem ac relationem, quæ intercedit inter sacerdotium et sacrificium, quæ tanta est, ut alterum sine altero nunquam extiterit; unde Apostolus, Hebr. 5, 1, principii loco

(1) In tract. de Eucharist., n. 244 seqq.

ponit quòd *omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis que sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*. Et sanè sui erant in lege naturæ sacerdotes, familiarum nempe principes et filii nata majores, qui sacrificia facerent; in lege etiam Moysis sacrificiis offerendis sacerdotalem ordinem designavit ipsemet Deus ex familiâ Aaron; ergo eum Christus in novâ lege Eucharistiam instituerit tanquam verum ac propriè dictum sacrificium, consequens est verum pariter ac propriè dictum sacerdotium ipsum instituisse.

30. H. Istud porrò verum ac proprium sacerdotium externum atque visibile non esse omnibus fidelibus commune secùs ac cum suis Lutherus contenderit, sed apostolorum proprium Christum instituisse, quæ est altera propositionis pars quam plurimis canonibus sancivit Tridentina synodus (1), luculentissimè ostenditur.

31. Eos enim tantùm sacerdotes Christus instituit ad quos ea verba pertinent: *Hoc facite in meam commemorationem*; atqui hæc ad solos præsentés certissimè pertinent, nempe ad apostolos, quos Eucharistia mensæ voluit esse participes, ut Matthæus 26; Marcus 14; Lucas 22, unanimiter et accuratè describunt. Ergo solos apostolos sacerdotes Christus instituit. Et verò, si imperfecta et egea elementa, ejusmodi ex Apostolo erant legis naturæ ac Mosaicæ sacrificia à proprio et peculiari ministro oblata fuerunt, consentaneum etiam videbatur ut sacrificium eucharisticum omnium præstantissimum Deoque plenè non ab omnibus indiscriminatim offerretur, sed ab iis tantùm quibus id muneris peculiariter tributum fuisset. Id ipsum conficitur ex potestate alterè christiani sacerdotii propriâ, dimittendi scilicet ac retinendi peccata, quam Christus nonnisi apostolis contulit, Joan. 20, illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remisistis peccata remittantur eis, et quorum retinueritis retenta sunt*, ut suo loco ostendimus.

32. Accedit Ecclesiæ totius auctoritas, quæ universali et publico usu constanter ad eò et semper ostendit sacerdotium à Christo tributum apostolis solis fuisse, et ab ipsis deinceps in eos tantùm descendisse què ab iisdem apostolis certo ordine et ritu initiati fuissent, ut nunquam, ne scævientè quidem tyrannorum persecutione, permiserit, ut qui sacerdotes non essent, jura et officia sacerdotii propriâ affectarent. Ex patribus integrè exscribendi essent tractatus qui hanc veritatem confirmant. Nobis propterea satis sit describere quæ S. Joan. Chrysostomus, lib. 3 de Sacerdotio, habet: *Sacerdotium enim in terrâ quidem peragitur, sed cælestium ordinum classem obtinet; et fere quidem merito. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non alia quæpiam creata potestas; sed ipse Paracletus hoc officium ordinavit, qui manentibus in carne auctor fuit ut angelorum ministerium animo conciperent.* Qui exinde concludit sa-

(1) Tum can. 1, et can. 5, sess. 23, et can. 2, sess. 22, can. 4, sess. 14.

cerdotes angelis ipsis, nedùm principibus ac regibus dignitate præstare.

33. H. Nec minùs luculenter astruitur tertia propositionis pars; sacerdotium enim ex dictis ad sacrificium refertur; atqui sacrificium quod Christus instituit, voluit in Ecclesiâ esse perpetuum, ergo et sacerdotium. Cùm rursùm Christus sacerdotibus facultatem commiserit remittendi aut retinendi peccata, tandè debet hæc facultas perdurare, quamdiù peccata erunt in mundo remittenda aut retinenda, nempe usque ad consummationem sæculi, idèdque et sacerdotes qui eamdem exerceant. Voluisse insuper Christum, ut ritu externo a se instituto sacerdotium propagaretur, id factò suo ostenderunt apostoli; Act. enim 13, 2, legimus eos qui Antiochiæ commorabantur jussos à Spiritu sancto fuisse ut segregarent Saulum et Barnabam in opus ministerii ad quod assumpsérat: *Tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos*. Sic ibid. 14 iterùm legimus à Saulo et Barnabâ per singulas Lystris, Antiochenorum, altarumque gentium ecclesias creatos fuisse presbyteros per manuum impositionem, ut habet Græcus textus, v. 23, ubi illi perhibentur *χειροτονουσαντες*, seu *extendentes manus* ad creandos presbyteros. Idem præterea apostolus Paulus Cretensibus Titum præfecit episcopum, Ephesiis autem Timotheum; Tito insuper præcepit ut constitueret per civitates presbyteros; Timotheo autem ne citò cuique manus imponeret. Qui ergo à Christo instituti sacerdotes fuerant apostoli, iidem sacerdotium in alios propagarunt, quod perpetuè deinceps successione eodemque ritu ad nos usque propagatum est, ut omnia publica ecclesiastica documenta demonstrant, omnia Græcorum et Orientalium Euchologia, omnesque rituales Latinorum libri testantur.

34. IV. Denique quod probandum ultimo loco assumpsimus, competere scilicet huic ritui externo quo propagatum est sacerdotium Sacramenti dignitatem prout apertè docet Tridentina synodus, laudatâ sess., can. 4: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum, aut per eam non imprimi characterem; vel eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursùm fieri posse; anathema sit*, ex dictis faciliè colligimus. Etenim quod Christus ipse in apostolis primum instituit, quod voluit in Ecclesiâ suâ esse perpetuum, atque ab apostolis in alios propagari certo aliquo et constanti ritu divinitus instituto, atque præcepto, qui non modò significandæ, verùm etiam efficiendæ justitiæ et sanctitatis vim habet, illud profectò veri nominis Sacramentum appellari et esse debet; atqui tale est sacerdotium, seu si placet, ritus ille quo sacerdotium confertur; ergo.

35. Et sanè si de fide est aliquam ordinationem esse Sacramentum, vel dicendum sacerdotium omnium ordinum nobilissimum ac præstantissimum, et ad quod tanquam ad commune principium et finem reliqui omnes ordines referuntur, Sacramenti dignitate gaudere, vel nutare istud fidei nostræ dogma. Atque hinc factum est ut nullus unquam catholicus hanc veritatem in dis-

putationem vocaverit, imò nec ullus hæreticus; hæretici enim aut negant ordinationem esse Sacramentum, aut sillam Sacramentum esse tenent in sacerdotio eam inveniri concedunt.

36. Ex his porrò sequitur optimè sacerdotium definitur posse ita ut sit: *Ordo sacer et Sacramentum divinitus institutum, quo tribuitur potestas consecrandi corpus et sanguinem Domini necnon remittendi ac retinendi peccata* (1).

Difficultates.

37. Obj. Adversus primam part.: Nullibi in Evangelio aut scriptis apostolorum sacerdotum mentio fit, vel nomen occurrit sacerdotii propriè dicti. 2º Apostolus, Hebr. 7, 24, eos apertè excludit, cùm nullum alium sacerdotem in N. T. admittat præter Christum, qui eò quòd *maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium*. 3º Quod quidem ex ipsis Catholicorum principis planè conficitur: cujusmodi enim est sacrificium, ejusmodi est sacerdotium, cùm mutuo ad se hæc referantur; atqui in conficiendâ Eucharistiâ non verum, sed mysticum tantùm sacrificium offertur atque representativum; siquidem non verè separatur sanguis à corpore in Christo. Ergo nonnisi mysticum

(1) In Pontificali Romano additur: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præesse, predicare et baptizare.* In quibus singulis profectò tanta nobilitas est atque excellentia, ut sacerdotes in Scripturis et Patribus non modò Dei interpretes, internuntii atque legati, sed angeli, sed dii etiam appellentur, propterea quod Dei personam in terris gerant, et Dei vicem et nomen apud nos teneant. Quare S. Joan. Chrysostomus, loco cit., concludebat: *Idcirco sacerdotium obvenit ita purum esse deet, ac si in cælis inter potestates illas collocatus esset. Cùm enim videris Dominum immolatum et jacentem, et sacerdotem sacrificio incombentem ac precantem, omnesque pretioso illo sanguine rubentes, an putas te adhuc cum hominibus et in terrâ esse? Annon potius in cælis translatus, omnique carnali cogitatione eliminatus, modò animo menteque purâ, quæ in cælis sunt circumspicit? Quapropter cum magno timore (ita sermonem ad initiandos convertit consecrans antistes) ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum at cælestis sapientiæ, probi mœurs, et diuturna justitiæ, ad id electos commendent... Nempe tales esse studere debent, ut in adiutorium Moysis et duodecim apostolorum, episcoporum videlicet, qui per Moysen et apostolos figurantur, dignè per gratiam Dei eligi valeant.* Atque hæc quidem ferventissima vota sunt Ecclesiæ catholicæ quæ propterea in conc. Tridentino, sess. 23, cap. 14, de Ref., decrevit ut ad presbyteratus ordinem assumantur qui *ad docendum populum, et administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur, atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, et vitæ monita ab eis possint expectari.* Atque hæc quidem sapientissimè à Tridentinâ synodo constituta sunt, quæ tamen ulterius progressa non est.

Verùm intra hos fines minimè se continuè Pistorienses: eò enim temeritatis devenerunt, ut, prop. 53, ecclesiasticæ disciplinæ corruptelam, quæ vetus ecclesiasticæ ordinis decus, propemodum, ut ii quidem aiunt, extinctum est, cùm aliis causis, tum illi etiam tribuant, quòd recessum sit à veteri instituto, quo (ut ait synodus, § 5) *Ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem.* Quæ propositio merito à Pio VI. in const. *Auctorem fidei*, damnatur ut *falsa, temeraria, etc.*

et representativum esse potest in novâ lege sacerdotium.

38. R. Ad 1. D. Si vocem spectes, C.; si rem per illam vocem significatam, N. Jam verò controversia nostra non est de nomine, sed de re; quoniam verò adversarii nostri non rejiciunt *Trinitatem*, aut Filii seu Verbi cum Patre *consubstantialitatem*, aliaque religionis nostræ dogmata, licèt hæc nomina in Scripturis minimè reperiantur, sic neque rejicere possunt sacerdotium, licèt sacerdotii nomen in novo Testamento non reperiatur, quando aliunde ex rebus ipsis necessariò colligitur sacerdotii dignitatem à Christo fuisse institutam atque apostolis collatam. Cæterum, quare altaris ministri ab initio sacerdotis nomine insigniti non fuerint, ratio esse potuit, prout observat card. Rossensis, ne confunderentur cum sacerdotibus Mosaicis (1).

39. Ad 2. D. Excludit Apostolus alios sacerdotes, qui Christo in sacerdotio succedant, uti alii alii succedebant sacerdotes Aaronici, C.; qui ejus vices gerant, seu ministerium ei præstent in sacrificio offerendo, N. (2).

40. Ad 3. D. Sacrificiùm eucharisticum est mysticum et representativum ratione modi quo offertur, C.; ratione rei quæ offertur, seu in se, N. Verum enim et reale quoad essentiam est sacrificiùm quod in altari offertur, cùm in Eucharistiâ verè offeratur corpus et sanguis Christi, et non in figurâ, ut suo loco ostendimus, idèdque verum quoque ac reale debet esse sacerdotium, et non mysticum tantùm ac representativum.

41. II. Obj. Adversus alteram prop. partem: 1º Scripturæ passim Christianos omnes sacerdotio insignitos exhibent: Apostolus enim Petrus, 1 ep. 2, 5, Christianos vocat *sacerdotium sanctum*, et ibid., v. 9, eosdem dicit *regale sacerdotium*, et Joannes, Apocalyp. 1, 5 et 6, refert Christum ipsum nobis omnibus hanc prerogativam contulisse dùm *lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo*. 2º Patres propterea idem sacerdotium fidelibus indiscriminatim omnibus pariter tribuunt, inter quos S. Hieronymus, qui, dial. adversus Lucif., n. 4, memorat *sacerdotium laici*. 3º Præcipuè verò Tertullianus, qui, in lib. de Exhortatione castitatis, c. 7, hoc sacerdotio propriè dicto omnibus communi tanquam principii loco constituto, rectè infert secundas nuptias vetitas esse omnibus indiscriminatim Christianis, eò quòd vetitæ sint sacerdotibus, ait enim: *Vani erimus, si putaverimus quod sacerdotibus non licet, laicis licere. Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit.* Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et

(1) In op.: *Sacri sacerdotii defensio contra Lutherum*; Colon. 1525. Congressus tertius, n. 15. Cf. etiam Nat. Alexand., diss. 15 in Hist. eccl. sec. 13 et 14, § 32.

(2) Cf. quæ scripsimus in tract. de Eucharist., n. 260, seqq., quæ hinc pariter referuntur.

